

tinguitur, nam unaquæque res per id ab alia distinguitur, per quod constituitur. Vocatio autem efficax, ut antecedenter est congrua, non constituitur per auxilium simultaneum, vel per actualem cooperationem liberi arbitrii, sed per attemperationem ad illam; ergo eodem modo distinguitur a vocatione sufficiente, quæ non ita attemperate tribuitur. Dixi autem: *Ut antecedenter est congrua*, seu efficax, quia si spectetur ut transit in rationem gratiæ cooperantis et adjuvantis, sic verum est non distinguere a vocatione sufficiente, nisi in actuali actione cum auxilio simultaneo, et cooperatione liberi arbitrii. Et simili modo, licet sub hac posteriori ratione non faciat voluntatem velle aut facere, sed cum illa faciat ipsum velle, nihilominus sub priori ratione facit ut voluntas velit et operetur, quia illam excitat, movet, et inducit ut velit et operetur. Et quia tali modo et opportunitate datur, ut infallibiliter talem effectum obtineat, ideo non solum dicitur et est efficax, prout actu cooperatur, sed etiam prout præmouet et inducit ad volendum. Non est enim de ratione gratiæ efficacis, quæ facit facere, ut se sola prædeterminationem aliquam, vel ipsam determinationem voluntatis faciat, hoc enim esset contra libertatem talis determinationis, sed satis est quod ita præmoveat, ut infallibiliter obtineat determinationem liberam ab ipsa voluntate, quamvis in executione neque sola, neque prius, sed simul cum ipsa voluntate, talem determinationem efficiat.

15. *Objectio.* — *Dissolvitur.* — *An gratia efficacis sit per se efficacis.* — Sed dicit aliquis: ergo gratia efficacis non est per se efficax, sed quia illi adjungitur voluntas, et sic efficacia gratiæ quodammodo subjicitur libero arbitrio, contra Concilium Arausican., can. 6. Imo etiam erit per accidens et contingenter efficax, quod videtur contra vim et dignitatem efficacis gratiæ. Respondeo in priori consequente, particulam illam *per se* posse excludere consortium alterius causæ, et significare quod sola non sufficiat ad suam causalitatem; vel posse significare modum causandi, et denotare quod non habeat modum causandi per se, sed tantum per accidens; vel denique potest significare intrinsecam connexionem inter talem vocationem, et illam efficacitatem, a qua dicitur efficax, ita ut dicatur non convenire illi per se, quia non habet illam intrinsecam innatam ex natura sua, et ex vi suæ absolutæ entitatis.

16. Primum sensum indicat probatio in

contrarium inducta; in illo vero respondemus, ad illationem priorem, duplicem causalitatem inveniri in tali vocatione. Quædam est antecedens, et quasi intentionalis et moralis, quæ illi convenit ut est gratia præveniens, et inducens voluntatem ad consensum, et sic negatur illa prior consequentia. Quia revera sola vocatio est, quæ attrahit et allicit voluntatem prius natura, quam ipsa consentiat: nam ad hoc non cooperatur liberum arbitrium, nec alio modo est causa ipsius vocationis. Et similiter vocatio, quando ut efficax datur, sola est quæ habet illam causalitatem cum congruitate ad capacitatem et conditionem recipientis; hanc ergo congruam causalitatem per se sola habet quasi formaliter, eamque a solo Deo recipit, ut dixi, sine cooperatione, dispositione, aut merito liberi arbitrii. Alia causalitas illius vocationis est in actuali executione et actione ipsius consensus, et determinationis ad illum, et sic concedenda est illatio, nam vocatio congrua non est ita efficax determinationis voluntatis, ut se sola illam efficiat, sed concomitanter cum ipsa voluntate, nec aliud esse potest de ratione auxilii efficacis, ut dixi sæpe. Nec inde fit ut gratia subjiciatur libero arbitrio, sed fit ut in aliquo genere causandi et efficiendi comitetur illud, quod verissimum est, ut infra circa Concilium Araus. latius dicemus.

17. In secundo sensu, negatur simpliciter consequentia, quia gratia excitans, ut excitans est, non est causa per accidens actus supernaturalis. Unde a fortiori vocatio congrua non est causa per accidens, etiamsi ultimum effectum per illam intentum non ex necessaria determinatione obtineat, neque ex sola sua causalitate, sed cooperante simul voluntate libera; potest enim esse causa per se, etiamsi quoad executionem causa non sit totalis in omni genere, sed requirat consortium alterius causæ libere agentis. Est autem vocatio causa per se, quia non ab extrinseco, sed natura sua ad talem effectum ordinatur, unde quando effectum obtinet, illum per se causat, vel in genere causæ finalis, ratione objecti quod ponit, vel in genere causæ moralis, quatenus voluntatem attrahit per actualem internam cogitationem, affectionem, inclinationem, et suavitatem quæ inclinationem auget: quæ moralis causalitas in suo genere, et respectu effectus moralis, est causalitas per se, et fundatur in physica causalitate formali, quam talis gratia habet in voluntate quam afficit et intellectu quem illuminat, ut supra declaravi. Ac denique, quando

talis vocatio transit in gratiam adjuvantem, etiam physice causat per se consensum voluntatis, vel per ipsummet actum quo voluntatem excitat, ut est probabile, vel per principium aliquod supernaturale, quod vel supponit, vel secum adducit, ut supra etiam declaravimus. In tertio autem sensu, fatemur vocationem illam non esse per se et ex vi suæ entitatis efficacem, quia, licet congruitas illa, ad effectum infallibiliter futurum, sit valde consentanea naturæ et inclinationi talis vocationis, pendet nihilominus a futura liberi arbitrii determinatione, tanquam a termino quem illa congruitas respicit; et ideo vocatio illa non potest habere illam congruitatem ex necessitate absoluta, et simpliciter; non potest ergo ab intrinseco et per se illi convenire, nisi ex suppositione talis termini: et quia suppositio illa est simpliciter libera et contingens, ideo congruitas etiam convenit contingenter illi vocationi secundum se spectatæ. Supposita autem congruitate, per se ac necessario est efficax, quia est per se causa effectus, ut declaravi, et ex hypothesi infallibiliter habebit effectum. Et hoc satis est ad omnem perfectionem et utilitatem gratiæ efficacis; non enim consistit ejus perfectio vel utilitas, in hoc quod libertatem tollat; sed potius, ut sit utilis, oportet ut libertatem conservet et juvet, et perfectio ejus in hoc consistit, quod, ut subest sapientissimæ ac omnipotentissimæ providentiæ, ita attemperatur voluntati liberæ, ut eam libere et infallibiliter in consensum inducat. Atque hoc modo per hujusmodi concordiam, et gratiæ dignitas et arbitrii libertas in suo gradu et ordine optime salvantur.

18. *Respondetur ad quintum inconveniens, de ultima resolutione humanæ conversionis.* — Ad quintum inconveniens, de ultima resolutione humanæ conversionis et salutis, quod fieret ultimate in liberum arbitrium, et non in solam divinam voluntatem, respondemus in aliquo genere posse resolutionem ultimam, et debere fieri in liberum arbitrium, non tamen in omni genere et modo, præsertim in bonis operibus et pietatis. Est ergo considerandum fautores prædeterminationis physice contendere omnem actum, omnemque consensum voluntatis nostræ, reducendum esse in solam Dei voluntatem, adeo ut interdum dicant hanc causalem propositionem falsam esse: *Quia homo vult consentire et cooperari Deo excitanti, vel converti, ideo consentit, cooperatur, vel convertitur*; quia ipsummet cooperari voluntatis humanæ reducitur in volun-

tatem Dei, tanquam in causam per se efficientem. Unde inferunt, cum quæritur cur homo vocatus a Deo velit converti, non esse respondendum: Quia vult, nec esse sistendum in facultate liberi arbitrii, sed esse respondendum: Quia Deus vult, et quia facit illum consentire, efficaciter determinando illum ut libere consentiat. Solus autem Deus ideo vult determinare voluntatem hominis, quia vult, quia sola voluntas divina est quæ non habet aliam priorem se, et ipsa est prior cæteris, quia est prima causa omnium rerum et omnium determinationum. Unde inferunt ulterius voluntatem creatam non habere in sua potestate et dominio primam (ut ita dicam) deliberationem sui actus, sed hanc esse in Deo, qui est primum deliberans, et primus dominus, et ideo necesse est ut prius ipse deliberet, et decernat efficaciter quid voluntas humana deliberatura sit et volitura, et tunc poterit voluntas humana illud ipsum quod Deus decrevit velle et deliberare, et non aliud. Ad hoc autem persuadendum, non alia argumenta adducunt, nisi quibus prædeterminationem physicam probare nitantur, quæ partim jam solvimus, et alia in sequentibus capitibus tractanda sunt. Et quamvis interdum videantur illam doctrinam limitare ad actus gratiæ vel ad actus bonos, si tamen fundamentum bonum est, eodem modo procedit de omni humana deliberatione et determinatione in omni materia. Nam etiam Judas non habuit primo potestatem et dominium deliberandi de Christi venditione, et in eam libere consentiendi, sed Deus primo hoc deliberavit et decrevit, ac efficaciter voluit ut Judas idem deliberaret ac vellet, et ideo Judas id secum statuit, quia Deus ita deliberaverat secundum consilium voluntatis suæ. Quod absit ut credamus aut de Deo cogitemus.

19. Nos ergo respondemus distinguendum imprimis esse ordinem executionis ab ordine divinæ prædestinationis. Incipiendo ergo ab ordine executionis, quia ab illo debet fieri resolutio ad ordinem prædestinationis, dicimus imprimis, etiam in actibus pietatis, faciendam esse resolutionem liberi consensus in facultatem liberi arbitrii, non quidem solam, sed adjuvantem per gratiam, illique cooperantem. Hoc videtur certum, quia talis consensus liber est ipsi homini consentienti; sed illam denominationem et rationem liberi non accipit, nisi ab innata facultate libera ipsius voluntatis; non est enim hic consensus mihi liber, quia Deus de illo deliberat, sed quia ego de illo delibero, et facultatem habeo illum faciendi ex sola

innata libertate; ergo necessaria est aliqua resolutio faciendâ in facultatem liberi arbitrii. Unde non potest illa causalis propositio negari: *Quia homo vult consentire, cooperari, vel converti, supposita excitante gratia, ideo consentit, cooperatur, vel convertitur.* Nam profecto, si homo non convertitur quia vult, non potest voluntati ejus tribui conversio; nam id tribuitur voluntati quod facit quia vult; si autem conversio non potest tribui voluntati, multominus poterit libertati, cum id solum sit liberum quod est in voluntatis potestate. Est ergo illa causalis omnino vera et Catholica: *Quia homo vult, gratiæ vocanti consentit, quam ex Scripturis, Conciliis et Patribus in sequentibus capitibus comprobabimus.*

20. *Recte tribuitur homini venire post vocationem, hoc est, consentire; non autem alia ratione ei hoc tribuitur, nisi quia venit quia vult.* — Nunc sufficiunt verba Augustini, lib. 83 Quæstionum, quæst. 68: *Si quis sibi tribuat ut veniat vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit; quibus aperte concedit recte tribui homini venire post vocationem, hoc est consentire, non autem alia ratione tribuitur, nisi quia sua libertate ac voluntate venit quia vult.* Unde lib. de Spirit. et litter., cap. 34, cum dixisset visorum suasionibus agere Deum ut velimus, etc., concludit: *Sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Si ergo est propriæ voluntatis, certe consentit quia vult: *Quæ res (subjungit) non solum non infirmat quod dictum est: Quid enim habes quod non accepisti? Verum etiam confirmat. Accipere enim et habere anima non potest dona de quibus hoc audit, nisi consentiendo; ac per hoc quid habeat et quid accipiat, Dei est; accipere autem, et habere utique accipientis est;* quibus consonat quod ait epistola 54 ad Macedon., parum ante medium: *Homo, cum bonus est, ab illo bonus est, scilicet Deo; illius enim spiritu boni fiunt quicumque boni fiunt, cujus capax creata est nostra natura per propriam voluntatem. Pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere et habere quod dat qui de suo bonus est, quo quisque neglecto, de suo malus est.* Dicitur autem accipere ad nos pertinere, quia in nostra situm est voluntate; ergo convertimur, consentimus et cooperamur, quia volumus, hoc enim modo Dei dona accipimus. Unde merito dicit Prosper., lib. 1 de Vocat. gent., cap. 35: *Frustra dicitur quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint.* Deinde assero hanc resolutionem ita fieri in voluntatem, ut non excludatur vera, pro-

pria, ac præcipua causalitas efficiens Dei præparantis et adjuvantis, non tamen prædeterminantis voluntatem. Prior pars certissima est, et a nobis sæpe repetita. Ostendimus enim sine gratia vocante et adjuvante physice, nihil boni operari nos posse; maximum autem bonum est consentire gratiæ vocanti; ergo neque id potest fieri nisi in virtute ipsius vocationis et gratiæ. Unde hæc causalis propositio simpliciter vera est: *Homo consentit et convertitur, quia a Deo accepit ut consentiat et convertatur;* nam ut hæc sint dona Dei, non oportet ut solus Deus illa faciat, sed satis est quod gratis illa solus inchoet, et principaliter consummet. Et sic etiam vere dicitur: *Homo operatur, seu consentit, quia Deus vocatione illum attraxit, et illi persuasit.* Quomodo dixit Augustinus, dicta q. 68, eos qui vocati venerunt, non debere sibi tribuere quod venerint, utique solitarie, vel primario, quia nec venire possent, nisi vocarentur. Ac similiter verissime dicitur homo consentire libere, quia Deus efficienter et libere adjuvat illum ut consentiat, tam ut causa prima ordinis gratiæ, quam per modum causæ proximæ, dando illi virtutem supernaturalem agendi, vel per habitum, vel per seipsum, cum illo principaliter cooperando. Igitur hoc genus adjutorii et causalitatis optime per illam causalem explicatur: *Homo consentit, aut vult pie, quia Deus illum adjuvat, et vult illum bene operari.* Nam voluntas Dei est prima causa illius operis, etiamsi non antecedit in illa absolutum decretum, sed voluntas concurrenti, quantum est ex parte sua; tum quia illa etiam est vera causa coefficientis cum voluntate humana, si illa cooperetur; tum quia in eodem opere et actione, licet illæ duæ voluntates quoad influxum ad extra simul natura concurrant, tamen voluntas creata semper concurrat ut pendens ab increata, et non e contra; tum denique quia voluntas Dei præcedit offerens suum concursum, et auxilium, per quod potestas voluntatis humanæ suo modo completur. Ita ergo vera est illa resolutio consensus voluntatis humanæ in divinam, ut cooperantem et juvantem.

21. Altera vero pars negativa de voluntate prædeterminante in superioribus satis probata est; nam propter subordinationem et dependentiam essentialem causæ secundæ a prima, non est necessaria illa resolutio, ut in actibus malis satis ostenditur. Neque propter bonitatem vel supernaturalitatem consensus est necessarium, quia in hoc genere dependentiæ servant eandem proportionem, et ad illos

possunt dari physica principia proportionata, et offerri concursus sine tali prædeterminatione. Et alioqui illa prædeterminatio non stat cum libertate. Quamobrem addimus in hoc genere resolutionis ultimæ, si per particulam ultimam solum excludatur prior causa determinans, sic resolutionem liberæ determinationis voluntatis humanæ, etiam in consensu supernaturali et operibus pietatis, fieri in facultatem liberam voluntatis creatæ, sistendo in illa, supposita supernaturali præparatione ejus cum omnibus principis supernaturalibus, moralibus et physicis præviis, necessariis ad operandum. Quia, ut paulo antea explicavi, adæquatum principium istius determinationis liberæ coalescit ex vocatione, habitu infuso, Deo ut jam libera sua determinatione disposito ad concurrendum vel juvandum, et voluntate libera hominis. Quo principio sic constituto et præintellecto, in quodam signo naturæ actualis determinatio peculiari modo pendet libere a sola voluntate creata, nam alia principia jam de se sunt determinata, ut declaravi, et ideo, in executione et ortu talis actionis, ab illo adæquato principio verissime dicitur ideo nunc fieri talem actionem, quia voluntas hominis libere vult, et antea non fuisse factam, quia nolebat. Item est verum quod voluntas hominis ideo nunc vult, quia libera est, et quia ipsa se determinat, non prædeterminata ab alia priori voluntate, quamvis non se determinet nisi dependenter a priori voluntate, et ideo non sit primum deliberans, nec primum se determinans. Quæ omnia in superioribus satis explicata et probata sunt. Neque contra hoc video rationem alicujus momenti, quæ non possit in actibus liberis circa objecta prava inficiari, et ex principis positis facile solvi. Nam hinc non sequitur vel voluntatem hominis facere aliquid sine Deo, vel facere aliquid priusquam Deus illi cooperetur, vel quam illam excitet et adjuvet, si opus sit pium, nec sequitur, voluntatem conferre aliquid gratiæ in actuali operatione, sed solum sequitur gratiam nihil in illo consensu vel determinatione efficere sine voluntate se determinante. Nec denique sequitur hanc determinationem hominis fieri sine præcedente deliberatione et decreto Dei, nam præcessit deliberatio Dei, qua statuit vocare et juvare hominem, et cum illo concurrere, si ipse velit, quod per se sufficit ad exhibitionem consensus liberi, quantum ad ordinem executionis spectat.

22. Possumus autem ulterius progredi, resolvendo hanc totam executionem in divinam

prædestinationem. Et sic in operibus pietatis, et in libero consensu ac determinatione ejusdem ordinis, de quibus nunc loquimur, facile admittimus et verissimum credimus hominem, congruenter vocatum, ideo velle credere, verbi gratia, quia vult; et ideo velle quia congruenter vocatus est, et ideo vocatum esse congruenter, quia Deus voluit ita eum vocare; et ideo illum etiam vocasse, quia absoluto et efficaci decreto voluit, præfinivit seu prædestinavit illum ut crederet. Imo credimus, juxta Augustinum, subordinationem seu emanationem vocationis ab hoc proposito Dei esse de ratione talis vocationis congruæ, ut videre licet in eodem Augustino, lib. de Corrept. et grat., cap. 7 et 14, et lib. 5 contra Julian., cap. 4, et aliis locis infra in proprio capite citandis. Et hoc decretum necessarium est, et sufficit ut salus hominis et discretio inter justos et injustos in solam Dei voluntatem ultimo resolvatur, juxta illud ad Roman. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, et alia quæ capite sequenti insinuabimus.*

23. Neque hinc sequitur prædeterminatio quæ ad extra in humana voluntate fiat, nam illud propositum Dei non transcendit ordinem intentionis, nec per se exequitur quod vult, nec immutat voluntatem humanam plus quam necessarium sit, ut tale propositum infallibiliter impleatur; ut autem illud infallibiliter impleatur, sufficit vocatio congrua, ut jam explicatum est, ideoque prædeterminatio physica necessaria non est. Imo repugnaret tali decreto; nam per illud vult Deus ut homo libere consentiat, quod non potest per physicam prædeterminationem executioni mandari, quia illa non faceret libere consentire, sed necessario, ut in superioribus visum est. Quocirca, secundum executionem loquendo, dicendum est ex duobus sufficienter vocatis, hunc consentire quia vult, et uterque operatur pro sua innata libertate, quamvis non operetur sua uterque potestate. Nam prior non solis viribus naturalibus id facit, sed cooperando gratiæ, alter sola innata potestate dissentit. Ascendendo autem ad inscrutabilia judicia divinæ prædestinationis, unus credit, quia Deus prædestinavit illum ut crederet, et quia Deus voluntate absoluta præfinivit ut crederet. De altero autem non possumus dicere non converti, quia Deus noluit, vel quia prædefinivit ut non crederet, quia Deus id non intendit, neque voluit, sed tantum permisit, et ideo quoad hanc partem in voluntate ipsius hominis sistendum est; non credit enim, quia noluit vocationi

assentire; noluit autem, non quia ex parte vocationis aut Dei aliquid illi necessarium deesset, sed quia noluit, et ibi tanquam in ultima ratione sistendum est. De qua re dixi plura, tractatu de Prædestinat. et reprobatur.

CAPUT XXVI.

DOCTRINA DATA DE AUXILIO EFFICACI ET CONCORDIA EJUS CUM LIBERO ARBITRIO, VERBIS CHRISTI, MATTH. 11, COMPROBATUR.

1. *In Scripturis nil expresse traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, etc., sub his expressis vocibus.* — Suppono in Scriptura sacra non inveniri aliquid expresse traditum de auxilio prædeterminante, vel de vocatione congrua, imo nec de auxilio efficaci, sub his expressis vocibus, sed ad summum inveniri verba prædestinandi, præfiniendi aut definiendi, Deo ex æternitate attributa, etiam quoad effectus a libero arbitrio dependentes. Sed de his jam in superioribus diximus esse longe diversa a verbo prædeterminandi, prout significat motionem quam Deus voluntati hominis in tempore infert, ut modo illo utimur; an vero liceat ab uno ad aliud argumentari, licet dictum etiam sit, aliquid fortasse attingemus. Vocationis autem et auxilii nomina sæpe inveniuntur in Scriptura; cum addito vero *congruæ vocationis* non invenitur. Solum ad Hebr. 4, loquens de Christo, Paulus exhortatur nos, *ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quæ vox magnam affinitatem habet cum auxilio congruo, et ita D. Thomas exponit, id est, *congruo tempore*; et ita cæteri verbum illud maxime exponunt de temporis opportunitate, scilicet, vel in quo maxime illo indigemus, ut est tempus tribulationis, persecutionis, ac tentationis, vel etiam mortis, aut certe de tempore in quo nobis prodesse possit, ut est tempus hujus vitæ, ut cum Chrysostomo exponit Theophyl. At vero nihil obstat quin ibi etiam significetur auxilium omni ex parte ita opportunum, ut de facto prosit; tale enim maxime petendum est; nihilominus tamen qualis esse possit, vel requiratur opportunitas, ibi non declaratur, nec in alio Scripturæ loco, ut dixi. Ideoque non sunt petenda expressa testimonia quibus vera doctrina de auxilio efficaci comprobetur, sed per illationes ac deductiones, vel necessarias, vel maxime probabiles, veritas hæc ex Scriptura eruenda

est. Tribus autem modis doctrinam datam ex Scriptura colligimus. Primo, ex locis in quibus docemur eandem vocationem, quæ in uno homine est inefficax, in alio esse efficacem; secundo, ex aliis quæ in proxima potestate voluntatis humanæ, supposita vocatione Dei, ponunt tam resistere illi, quam facere ut effectum habeat, ac subinde efficax sit. Nam ex utroque principio concluditur prædeterminationem physicam non esse necessariam ad efficaciam gratiæ, ac subinde in vocatione congrua ponendam esse. In tertio vero loco addi possunt testimonia quæ ita commendant usum et modum libertatis, ut consequenter prædeterminationem excludant.

2. *Primum argumentum sumitur ex Mat., cap. 11.—Supponendum.*—Primum ergo argumentum sumimus ex illo loco Matth. 11: *Væ tibi, Corozain; Væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent.* Ut autem ex hoc loco argumentum validum sumi possit, oportet supponere verba Christi non per exaggerationem aut per conjecturam fuisse dicta, sed certissimam prophetiam ex infallibili præscientia profectam continere. Hoc probatum suppono ex proleg. 2, et aliis locis ibi citatis; tunc sufficit nobis auctoritas Augustini, lib. de Dono persever., c. 10 et 14, et in Enchirid., c. 95, quibus locis, illis verbis Christi utitur tanquam certissimis, et apertissimam continentibus prophetiam. Quo supposito, sic ex hoc loco argumentamur: Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ coram Judæis factæ sunt, cum solo interiori auxilio quod Judæis datum et oblatum est, illi credidissent; sed Judæis habitatoribus Corozain et Bethsaidæ tantum fuit data vocatio sufficiens, qua possent velle credere, et non est data prædeterminatio physica, ut constat, quia noluerunt credere; ergo Tyrii et Sidonii cum eadem vocatione crederent absque alia prædeterminatione; ergo illamet vocatio, quæ in quibusdam non fuit efficax, in aliis foret efficax, et non propter prædeterminationem; ergo quia illi attemperarent voluntatem suam vocationi, et quia vocatio esset illis attemperata et congrua, licet aliis non fuerit.

3. *Quid ad hoc argumentum respondeant adversarii.—Refutatur responsio.*—Ad hoc argumentum respondent, negando Tyrios et Sidonios fuisse credituros per eandem vocationem externam et internam solam prævenientem, sed fuisse credituros, quia eorum

voluntates a Deo prædeterminarentur. Quia illa præscientia Christi supponebat decretum Dei conditionatum, quo statuerat dare Tyriis et Sidoniis prædeterminationem, si apud illos factæ essent omnes virtutes quæ in aliis civitatibus factæ sunt. Nam Christus Dominus non dixit, quod, si illæ virtutes factæ essent apud Tyrios, cum illis solis, vel sine prædeterminatione credidissent. Sed hoc ex parte refutatum est in prolegom. 2, ubi ostendimus frustra in Deo confingi talia conditionata decreta. Hic vero ex propriis impugnatur tripliciter. Primo, apertissimo testimonio Augustini, dicto lib. de Dono persever., cap. 14, ubi ex verbis illis Christi ita colligit: *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturale munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Hæc enim illatio Augustini nullius momenti est, si verum est Tyrios et Sidonios fuisse credituros, quia danda illis fuisset prædeterminatio quæ non fuit data Judæis, quia, licet in Tyriis non fuisset aliud intelligentiæ lumen, nec alia ratio congruitatis, sed in omnibus antecedentibus conditionibus essent pares Judæis, imo licet essent inferiores, et virtutes factæ apud illos essent minores, si danda esset illis prædeterminatio, infallibiliter essent credituri. Ergo vel Augustinus, si alias sentiebat illud discrimen fuisse futurum inter Tyrios et Bethsamitas, ex divina prædeterminatione illis danda, quæ istis fuit negata, ineptissime intulit aliud discrimen in congruitate; vel, si hoc de Augustino sentire ineptissimum et insolentissimum est, fatendum est illum non cognovisse talem prædeterminationem, nec conditionatum decretum de illa danda Tyriis, sed in sola congruitate a Deo præcognita diversitatem illam quoad efficaciam posuisse.

4. *Item impugnatur illa responsio.*—Secundo, impugnatur illa responsio, quia ex illa redditur omnino inefficax, imo injusta Christi Domini exprobratio. Probatur sequela, quia, juxta illam responsionem, hunc fuisse oportet sensum comparationis Christi: Si in Tyro et Sidone essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, illis data etiam fuisset divina prædeterminatio quæ vobis data non est, et sic in cinere et cilicio penitentiam egissent. Ad hæc quæ exprobratio Judæorum est? Profecto potius esset excusatio. Nam si hoc Judæis innotesceret, merito responderent: Quid mirum quod illi crederent, prædeterminationem recipientes ad credendum? Da nobis illam, et credemus.

Aut: Quid nos reprehendis, si prædeterminationem, sine qua impossibile est voluntatem nostram determinari ad credendum, non habemus, nec tu illam nobis das aut offers, neque nos aliquid agere possumus quo illam consequamur? Ut si quispiam exprobraretur quod pondus non portaverit solus, quod alter cum adjutorio tertii portasset, futilis esset reprehensio, nam justa excusatio esset in promptu, ut per se constat. Respondent vero Christum increpasse Judæos, quia majora peccata commiserant, per quæ magis indigni talis auxilii extiterunt, utpote propria malitia obdurati, quod non fecerunt Tyrii ac Sidonii. Quamvis enim (aiunt) non potuerunt Judæi aut Tyrii, etc., ad prædeterminationem suis viribus se præparare, potuerunt nihilominus magis vel minus se impedire, et ideo merito exprobrantur Judæi, qui cum essent magis indigni, magis fuerunt adjuti ex parte Dei. Et statim ad hoc allegant D. Thomam, 3 cont. gent., cap. 159 et 160.

5. At hæc responsio imprimis involvit repugnantiam in illa sententia, nam, juxta illam, ex parte hominum nulla potest reddi ratio cur potius huic homini detur prædeterminatio quam illi, nec cur potius huic denegetur quam illi, nam Deus ante præscientiam omnium futurorum decrevit huic dare determinationem, et non illi pro solo suo arbitrio; ergo ante prævisam in illis Gentilibus et Judæis majorem vel minorem indignitatem, utrisque voluit non dare determinationem; ergo non potest illa responsio accommodari juxta illius sententiæ principia. Secundo, magis hoc urgetur, quia illi auctores dicunt non solum ante præscientiam futurorum absolutam, sed etiam ante conditionatam, decrevisse Deum dare prædeterminationem Tyriis, si etiam in illis fierent talia signa; ergo similiter ante omnem præscientiam absolutam et conditionatam voluit Deus non dare Judæis eandem determinationem, etiamsi apud eos fierent talia signa; ergo non est illis negatum illud auxilium propter majorem indignitatem; sed absolute, quia Deus dare noluit. Accedit quod obduratio Judæorum in non credendo, visis talibus virtutibus et signis, supponit carentiam prædeterminationis; ergo non potuit illa obduratio esse ratio ob quam Deus decrevit talem prædeterminationem eis non dare. Nisi forte dicant, propter obdurationem sub conditione prævisam, decrevisse Deum etiam sub conditione non dare Judæis prædeterminationem ad fidem, etiamsi in eis fierent virtutes, quod et in